



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

XVI. De auguriis & fortibus sanctorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

nium vitiorum fomes ac nutrix est; nec quis potest liberum corporis sui ac mentis habere iudicium, cum captus vino a sensu probetur alienus, & proclivis ad vitium mente labefacta ducatur, ac plerumque possit peccatum aut crimen, dum nescit, incurrire. Sed ignorantia talis non potest non subiacere poenae, quam ex voluntaria amentia manasse constiterit. Itaque eum, quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spatio a communione statuimus submouendum, aut corporali subdendum esse supplicio.

XIV.

Iust part. 6.
c. 244.

Clericus quem intra muros ciuitatis suae manere constiterit, & a matutinis hymnis sine probabili excusatione ægritudinis inuentus fuerit defuisse, septem diebus a communione habeatur extraneus: quia ministrum sacrorum eo tempore, quo non potest ab officio suo vlla honesta necessitas occupare, fas non est a salubri deuotione cessare.

XV.

Rectum quoque duximus, ut vel intra prouinciam nostram sacrorum ordo & psallendi vna sit consuetudo: & sicut vnam cum Trinitatis confessione fidem tenemus, vnam & officiorum regulam teneamus: ne variata obseruatione in aliquo deuotio nostra discrepare credatur.

XVI.

Concil. A.
gath. Can.
42.

Ac ne id fortasse videatur omissum, quod maxime fidem catholicæ religionis infestat, quod aliquanti clerici student auguriis, & sub nomine fictæ religionis, quas sanctorum fortes vocant, diuina-

ANNO CHRISTI 465. tions scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt: hoc quicumque clericus detectus fuerit vel consulere, vel docere, ab ecclesia habeatur extraneus. Incolumem coronam vestram ecclesiæ suæ Deus protegat, domini fratres.

S V B S C R I P T I O N E S .

Perpetuus episcopus hanc definitionem nostram relegi & subscripsi, & ea quæ a patribus nostris, vel a nobis prius statuta sunt, censio obseruanda.

Paternus episcopus subscripsi.

Albinus episcopus subscripsi.

Athenius episcopus subscripsi.

Nunecchius episcopus subscripsi.

Liberalis episcopus subscripsi.

N O T Æ I A C O B I S I R M O N D I
S O C I E T A T I S I E S V .

¹ Circa annum 465.] Quo anno celebratum sit, nihil est explorati. At certa videtur coniectura, quam ex Namnetensium episcoporum serie duximus, ut Turonensi posterius fuisse doceremus. Eusebii enim episcopi, ut antiqui omnes indices testantur, successor fuit Nunechius, quem Nonnechium alii vocant, is haud dubie, cuius nomen hoc loco inter eos qui Venetico Concilio subscripti sunt. Antea iam ergo præcesserat Turonense, cui Eusebius interfuit. Accedit quod non solum in codice Rhemensi, ut monuimus, verum etiam in antiquis collectionibus obseruatum est, cum vtriusque Concilii Canones proferuntur, Turonenses Veneticis præponi. Quare videant quam nihil cause habuerint, qui contra, ut præpostero in vulgaris editionibus Conciliorum istorum ordini suffragarentur, legitimum episcoporum Namnetensium ordinem, Eusebium Nunechio postponentes, in suis catalogis peruerterunt.

² Dominis beatissimis.] In codice Pithecano inscribitur, *Epistola episcoporum Armoricanæ prouincie*: in aliis, *Canones ecclesiæ Venetice*. Subscriptions adiectæ sunt ex codicibus Corbeienti & Rhemensi: sed in Corbeienti Perpetuus his verbis vtitur: *Perpetuus episcopus huic definitioni acquiescens subscripsi, & ea quæ a patribus nostris, vel a nobis prius statuta sunt, &c.* In Rhemensi vero post Perpetuum reliqui alio subscripti sunt ordine, Nunechius, Paternus, Albinus, Liberalis & Athenius.

N O T Æ S E V E R I N I B I N I I .

³ Concilium.] Hoc Concilium licet nulla consulum nota perspicuum quo rem-